Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 309
Quelle:
Copyright:

de Pulka ſuper primam Epiſtolam ad Corinthios pertractata. Placet hic olim in ſcholis *Vindob.* ſervatus inſtitutionis mos, ut explanato primum ſacri Libri ſenſu Quaeſtiones, quae ex eo naſci poſſunt, ſive dogmaticae, ſive morales, ſive liturgicae, ſive canonicae deinceps moveantur et explicentur. Dubia noſtra incipiunt *fol.* 3. *Quia in ſingulis epiſtolarum ſalutacionibus apoſtolus optat graciam et pacem, ideo de his pertinenter tractandum eſt et pro nunc de pace* &c. *Fol.* enim 1. et 2. habentur quaedam Extrema *Dubiorum in Epiſtolam ad Rom.* Pars haec prior ſiſtit in *Dubio 1. circa Caput* 12. ad *4° notandum.*

CCXI.

U. 185 Codex iterum praecedenti geminus, Folior. 313. inſcribitur *Secunda pars dubiorum* &c. et incipit a *4°* illo *Notando*, pervaditque totam Epiſtolam. Dubium ultimum eſt de Conditione Beatorum, cui haec ſubjuncta eſt clauſula miniata: *Hec fuit vltima lectio venerabilis olim Magiſtri petri cui retribuat altiſſimus reſurgere in ſorte beatorum omnium.* Rubricas ab alio adſcriptas fuiſſe mihi perſuadeo; Textum enim ipſum ſpiſſorum horum Voluminum a propria Autoris manu profectum eſſe docent liturae, emendationes et ſubpletiones paſſim obviae.

CCXII.

U. 157 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 298. f. currente calamo per duas columnas exaratus, et, ut praefertur, *librarie collegij beate virginis ad rubeam roſam* addictus a *Teſtamentarijs artium et ſacrarum litterarum profeſſoris Magiſtri Criſtanni de Hurben*, ſive *Horb Sueviae*, Canonici et Decani D. *Stephani*, Academiaeque a. 1443. Rectoris, qui a. 1467. e vivis exceſſit, continet: I. *Lecturam* ſcholaſticam in I. *D. Pauli ad Corinthios* praemiſſo ſolito Argumento: *Corinthij ſunt achaici* &c. quae incipit: *Paulus vocatus apoſtolus — Hec epiſtola quam apoſtolus ſcribit corinthijs primam, diuiditur in quatuor partes principales, in prima ponit ſalutacionem* &c. Et finit: *homicidium tamen primum locum tenet in penis inter peccata in proximum commiſſa. et tantum breuiter dictum ſit ad iſtud dubium et de tota preſenti epiſtola. Gloria Deo et omnibus ſanctis. Amen. Anno Domini MCCCC° 32° circa feſtum d. colo.* quod aut *Colomanni* aut *Decollationis* eſſe poſſit.

II. *fol.* 131. ſuccedit ſimilis *Lectura in Salomonis Parabolas*, praevia *Hieronymi* nota Epiſtola: *Jungat epiſtola quos iungit ſacerdocium* &c. Initium eſt: *Parabole ſalomonis filij dauid — Antequam ad diuiſionem libri procedamus, eſt ſciendum, quod aliqui dicunt, quod iſte liber ordinate conſcriptus fuit a ſalomone vsque ad XXIV. capitulum* &c. Definit: *quod manifeſtum eſt cuilibet inſpicere volenti.* An *Criſtannus*, ut tunc ſcribere amabant *Chriſtianum*, poſſeſſor tan-